

Canonizationes Sollemnes Sanctorum

secundum mentem Pii XI et Pii XII
sunt *definitiones sollemnes, ex cathedra, infallibiles.*

1°) *Litterae Decretales canonizationis S. Andreae Huberti Fournet (Pius XI, AAS 1933, p. 426, 04/06/1933) :*

« Quod cum iterum ac tertio, *instantius* nempe et *instantissime*, idem Cardinalis per eundem Consistorialis Aulae Advocatum petiisset, superno lumine iterum ferventiusque implorato, infallibilem Nos, uti catholicae Ecclesiae supremus Magister, sententiam in haec verba protulimus : *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Andream Hubertum Fournet Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus ; statuentes ab Ecclesia universali eius memoria quolibet anno, die natali illius, nempe die tertiadecima mensis Maii, inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Qua Canonizationis formula ita solemniter edicta, oblatis Nobis a praefato Aulae Consistorialis Advocato, Cardinalis Procuratoris nomine, precibus annuentes, Decretales has Apostolicas sub plumbo Litteras de eadem Canonizatione expediri decrevimus ; a Protonotariis vero Apostolicis ad perpetuam huius memoriam instrumenta confici iussimus. »*

2°) *Litterae Decretales canonizationis S. Mariae Michaëlis a Sanctissimo Sacramento (Pius XI, AAS 1934, p. 540, 04/03/1934) :*

« Quod cum iterum ac tertio, *instantius* nempe et *instantissime* de more factum sit, semel iterumque incensissimis ab omnibus Spiritui Sancto Paraclito admotis precibus, ut Ipse in tanti momenti re sua gratia mentem Nostram illustrare, regere ac dirigere dignaretur, Nos, ex cathedra Divi Petri, uti supremus universalis Christi Ecclesiae Magister, infallibilem hisce verbis sententiam sollemniter pronuntiavimus : *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra ; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatam Mariam Michaëlem a Ssmo Sacramento Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus ; statuentes ab Ecclesia universali eius memoriam quolibet anno, die natali illius, nempe die vicesima quarta Augusti, inter Sanctas Virgines pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »*

3°) *Litterae Decretales canonizationis S. Gemmae Galgani* (Pius XII, AAS 1941, pp. 105-106, 02/05/1940) :

« Quod quidem cum iterum ac tertio, *instantius* nempe et *instantissime* uti de more factum sit, omnium Sanctorum patrocinio invocato et Sancto Divino Spiritui admotis precibus ad lumen menti Nostrae uberius implorandum, ut Ipse in hac tanti momenti re Nos regeret et dirigeret, Nos, universalis catholicae Ecclesiae Magister, ex *cathedra una super Petrum Domini voce fundata*, falli nesciam hanc sententiam sollemniter hisce pronuntiavimus verbis : *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatas Mariam a Sancta Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani Sanctas esse decernimus, et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus ; statuentes ab Ecclesia universali illarum memoriam quolibet anno, die earum natali, nempe Beatae Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier die vigesima quarta Aprilis et Beatae Gemmae die undecima Aprilis, inter sanctas virgines non martyres pia devotione recoli debere. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »*

4°) *In Sollemni Canonizatione S. Nicolai de Flüe* (Pius XII, AAS 1947, pp. 209-210, 15/05/1947) :

« *Tum Ssmus Dominus Noster, omnibus aperto capite surgentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque gestans, de plenitudine Apostolici ministerii solemniter sic pronuntiavit :*

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra ; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio ; Beatum Nicolaum de Flüe Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, nempe vicesima prima martii, inter sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. »

5°) *In Sollemni Canonizatione SS. Ioannis de Britto, Bernardini Realino et Iosephi Cafasso* (Pius XII, AAS 1947, pp. 249-250, 22/06/1947) :

« *Tum vero Ssmus Dnus Noster, sedens, ex Cathedra Divi Petri solemniter pronuntiavit :*

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra ; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio ; Beatos Ioannem de Britto Martyrem, Iosephum Cafasso et Bernardinum Realino Confessores, Sanctos

esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus ; statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Ioannis de Britto die quarta Februarii, Iosephi Cafasso die vigesimatertia Iunii, Bernardini Realino die secunda Iulii, pia devotione recoli debere. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen. »

6°) In Sollemni Canonizatione SS. Michaëlis Garicoïts et Elisabethae Bichier des Ages (Pius XII, AAS 1947, pp. 281-282, 06/07/1947) :

« *Antequam Summus Pontifex decretoriam ederet sententiam qua Beati Caelites Michaël Garicoïts, confessor, et Elisabetha Bichier des Ages, virgo, sanctitatis honoribus decorati fuerunt, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, haec verba fecit :*

Augusto Pontifici iam deliberatum est Beatos Caelites Michaëlem Garicoïts et Elisabetham Bichier des Ages in Sanctorum album sollemni ritu adscribere.

Attendite igitur omnes, quotquot adestis, ac mentem animumque erigite. E caelo superna lux Pontificem Maximum collustrat, qui iam inerrantem sententiam suam laturus est. Caelicolis hisce, quos Petrus, in Pio vivens, loquens, decernens, sanctitudinis infula mox est decoraturus, nos nostraque omnia supplici prece concredamus.

Tum Sanctissimus, ex Cathedra solemniter sic pronunciavit :

Ad honorem Sanctae, et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio ; Beatos Michaëlem Garicoïts, confessorem, et Ioannam Elisabeth Bichier des Ages, virginem, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali eorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Michaëlis Garicoïts die decima quarta Maii et Ioannae Elisabeth Bichier des Ages die vigesima sexta augusti, pia devotione recoli debere. In nomine Pa†tris, et Fi†lii et Spiritus † Sancti. Amen. »

7°) In Sollemni Canonizatione S. Ludovici Mariae Grignon de Montfort (Pius XII, AAS 1947, pp. 329-330, 20/07/1947) :

« *Tum Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic definivit :*

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Ludovicum Mariam Grignon a Montfort, confessorem, Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die vigesima octava aprilis, pia devotione recoli debere. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † Sancti. Amen. »

8°) In Sollemni Canonizatione S. Catharinae Labouré (Pius XII, AAS 1947, pp. 377-378, 27/07/1947) :

« *Tum Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic solemniter pronunciavit :*

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatam Catharinam Labouré, virginem, Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die trigesima prima decembris, pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »

9°) Litterae Decretales canonizationis S. Ioannis de Britto (Pius XII, AAS 1949, pp. 137-138, 22/06/1947) :

« Nos autem, Paracliti Spiritus lumine una cum adstantibus prius implorato, ut ab Eo menti Nostrae superni luminis copia magis magisque affulgeret, in Cathedra sedentes, inerranti Petri magisterio fungentes, solemniter pronunciavimus : « *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatos Ioannem De Britto Martyrem, Iosephum Cafasso et Bernardinum Realino Confessores Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus ; statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam quolibet anno, die eorum natali, nempe Ioannis De Britto die quarta Februarii, Iosephi Cafasso die vigesima tertia Iunii, Bernardini Realino die secunda Iulii pia devotione recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. »*